DE

PSEUDARTHROSI
LUXATIONE PROFICISCENTE IN GENERE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE VI. M. APRILIS A. MDCCCXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

CAROL. MAURITIUS GEISLER,

FREISTADIENSIS.

OPPONENTIBUS:

M. BOBERTAG, UTR. MED. DD.,
H. KOEHLER, UTR. MED. DD.,
W. BRUBERGER, UTR. MED. CAND.

BEROLINI,

TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

PATRI

OPTIMO MAXIME DE SE MERITO

CAROL. HENR. GEISLER,

CONRECTORI APUD FREISTADIENSES,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

FILIUS.

Νούσων φύσιες ἰητροί.

Hipp. de morb. vulg. Lib. VI. Sect. V.

Effatum illud *Hippocratis*, naturam morbum sanare [1]), cum in omnibus fere morbis valere experientia nos edocuit, tum in iis casibus verum se manifestat, ubi morbo quodam vel causa mechanice in organismum agente ejus partes minus nobiles destruuntur, vel loco iis proprio moventur. Os mortuum ab organismo sejungitur, et loco illius provida natura novum, idque vices emortui ex toto fere supplens effingit. Frusta ossis fracti ab eadem natura vel callo reuniuntur, vel rebus infaustis saltem nexu mobili connectuntur. Sed quanta sit efficacia vis illius medicatricis naturae, articulationes sic dictae spuriae a luxationibus inductae commonstrant, quippe quae ex toto fere utilia reddant membra homini alioquin supervacanea.

Quam ob rem de hisce fusius hic agere jam me accingo.

Voce articulationis spuriae, articuli spurii vel pseudarthrosis (a ψεῦδος et ἄρθρωσις), vernacula lin-

---

[1]) L. c.

gua falsches Gelenk, künstliches Gelenk, in gener intelligitur articulatio vel saltem articuli analogo in loco, ubi in statu sano haud invenitur. Cun autem conditio primaria cujusvis articuli contact duorum ossium suppeditetur, pseudarthrosis etian eo loco solummodo esse potest, ubi haecce conditi haud desideratur, quae vel luxatione vel fractura os sis cujusdam praebetur.

Articuli spurii igitur in duas diffinduntur clas ses, prout vel a luxationibus haud repositis vel fracturis non sanatis proficiscuntur, quorum illi Cel. *Beclard*[2]) „*des articulations supplémentaires* hi autem „*des articulations surnuméraires*" merit nuncupantur.

Hic solummodo de articulationibus spuriis luxationibus inductis disseram, haud immemor li belli non ita pridem typis excussi, ubi concinn disseruit auctor de altera articulationum spuriarur specie[3]).

Quod veterum auctorum de hisce articulis cog nitionem attinet, ex eorum scriptis elucet, eam a modum levem ac imperfectam fuisse. *Hippocrat* in libro de articulis[4]) obscure duntaxat innuit h articulos, dicens: „ὅταν μὲν οὖν τρίβον λάβῃ τὸ ἄρθρ ἐν τῇ σαρκὶ εἰς ἣν ἐξεκλίθη, ἡ σὰρξ γλισχρανθῇ, ἀνώδυν

---

[2]) Elémens d'anatomie générale par *P. A. Beclard*, à Pa 1823. pag. 536.

[3]) *M. Troschel*, de pseudarthrosi dissertatio inaugural 1826.

[4]) *Hipp.* lib. de art. Sect. VI. pag. 822. Edit. Foesii.

τῷ χρόνῳ γίνεται; ὅταν δὲ ἀνώδυνον γένηται, δύνανται μὲν ὁδοιπορέειν ἄνευ ξύλου, ἐὰν ἄλλως βούλωνται, δύνανται δὲ ὀχέειν τὸ σῶμα ἐπὶ τὸ σιναρὸν σκέλος." Et *Galenus* in libro tertio Comment. ad *Hipp.* libros de articulis haecce adjicit: „locus articulationi similis evadit." Paulo curatius *Oribasius* in capite de articulis excident. pag. 147. rem tetigit. „Si caput femoris, inquit, e sua sede prolapsum ad exteriorem articuli partem carni innitatur, iis, qui sic affecti sunt, initio quidem caro dolet, dum ipso osse tunditur, tempore vero occallescit; ubi id incidit, simile quiddam articulo fit, cum femur enata ilei trita quadam sede utatur, sicut antea sinu coxae utebatur."

Eodem modo *Ambrosius* Paraeus [5]) et *Fabricius* ab Aquapendente [6]) rem tractarunt.

Investigationem anatomicam paulo diligentiorem Cassebomio debemus. Enarrat nempe Cel. *Boehmer* in instit. osteol. pag. 33.: „Cassebomius anno 1756 Argentorati virum secuit subito mortuum, quo, cum per plures annos claudicasset, sedem mali rite intueri posset, vidit in crure tumorem, separatisque integumentis musculisque gluteis, totum caput femoris sinistri cum collo femoris membrana capsulari habuit constrictum in superficie externa, cum in osse ilei ejusdem lateris impressionem circularem novamque articulationem fe-

---

[5]) *Ambrosii* Paraei opera chirurgica. Lib. XV. Francofurti ad Moenum. pag. 427.

[6]) *Fabricius* ab Aquapendente. Lib. V. pag. 327 et 362.

cisset; ligamentum ab attritu plane consumtum, totumque fere acetabulum cartilagineum et deforme erat."

Sed recentiorum [7]) perscrutationibus anatomicis penitiorem articulorum spuriorum cognitionem debemus. Priusquam autem ad horum delineationem transeamus brevem articulorum adumbrationem praemittere necesse ducamus, quo naturae conamina in effingendis novis articulis horumque cum veris discrepantiam melius perspiciamus.

Ad quemvis articulum constituendum pertinent duo ossa, quorum alterum gaudet cavo articulari, alterum capite illi correspondente; ita, ut fovea articularis excipiat caput ossis alterius. Cavum hocce diverso modo se habet, est modo superficiale, modo profundum, modo simplex, modo bifidum, secundum quam varietatem forma etiam capitis ossis alterius variat. Ut autem contiguitas ossium hoc modo sibi adfinium servaretur, natura apparatum ligamentosum suppeditavit, cujus ope illae superficies articulares invicem connecterentur. In diversis articulis hic apparatus diverso modo se habet. Omnibus autem proprium est ligamentum capsulare dictum, e fibris tendineis contextum, totum-

---

7) Cooper, chirurgische Handbibliothek. Vol. I. et Vol. 6.

Howship, Beobachtungen über den gesunden und kranken Bau der Knochen, mit lithogr. Abbildungen. pag. 71.

Otto, neue seltene Beobachtungen zur Anatomie, Physiologie und Pathologie gehörig. pag. 20.

Langenbeck, neue Bibliothek für die Chirurgie rc.

Mémoires de l'academie de chirurgie. T. II. a

que articulum ambiens et includens. Ne autem perpetuo attritu, cui ossium fines articulum constituentes sunt obnoxiae, hae detererentur, provida natura cartilagineo integumento tam foveam articularem, quam caput illi respondens munivit. Quid? quod fluidum viscidum albumini ovorum simillimum interjecit cartilaginibus sibi contiguis, ita, ut hicce latex, quem synoviam appellant, a membrana tenui tanquam sacco totum articulum investiente, cartilagineoque integumento firmiter adhaerente, includeretur. Praeterea in nonnullos articulos corpuscula rubicunda variae formae, plicis hujus membranae inclusa, prominent, quae adiposam massam, vasis sanguiferis intertextam, referentia in foveis articularibus accumulata sunt [8]), ita, ut leniter semper premantur, ubi membrum proximum movetur. Superficiebus articularibus hoc modo munitis, omnes motus haud parum juvabantur, simulque praecavebatur, ne perpetua frictione delerentur cartilaginea ossium articulatorum tegumina. Monendum etiam est, naturam in construendis articulis semper enixam fuisse, ut ossa ita conjungerentur, quarum mutua adaptatione motus cuilibet membro proprii quam celerrime expeditissimeque fierent.

Quibus praemissis ad describendum articulum spurium in genere transeamus.

Quae ex anatomica pseudarthrosium investigatione generalia liquent, haec sunt: Cavum recens

---

[8]) Glandulae Hawersianae vulgo, sed sat incongrue, dictae.

effictum, quod caput ossis luxati suscipit, modo profundum, modo superficiale, semper autem laevissimum [9]), modo massa fibrosa [10]), modo cartilagine tenui rubicunda [11]) obducitur. Margo cavi osseus plerumque est asper et valde prominens, ita, ut collum ossis luxati (quod imprimis de femore luxato valet) saepe arctissime ambiat et includat [12]). Fundus cavi saepe est tenuissimus, immo a parte articulo opposita eminet, uti in casibus a Cel. *Otto* et *Moreau* narratis res se habet [13]). Caput ossis luxati, ad articulum spurium effingendum inserviens, minus est rotundatum [14]) mino-

---

9) Cooper, chirurg. Handbibliothek. Vol. 1. pag. 6 et 38.
Neue Sammlung der auserlesensten und neuesten Abhandlungen für Wundärzte (aus verschiedenen Sprachen übersetzt). 3. Stück. pag. 38. seq.

10) *Beclard*, loco laudato.
Neue Samml. etc. 3. Stück. pag. 38. seq.
Cooper, chirurg. Handbibliothek. Th. 1. pag. 42.
Moreau in Mémoires de l'academie de chirurgie. T. II. pag. 155. seq.

11) *Otto*, loco laudato. pag. 20.
Hunter in Howship Beobachtungen über den gesunden und kranken Bau der Knochen. pag. 71.
Cooper, chirurg. Handbibl. 6. Bd. pag. 42.
Neue Samml. etc. pag. 38. seq.

12) Cooper, chirurg. Handbibl. Vol. 1. pag. 6 et 38.

13) *Otto*, L. c.
Moreau, Mémoires de l'academie de chirurgie. T. II. pag. 155 et seq.

14) *Moreau* in Mémoires de l'Academie de chirurgie. T. II. pag. 155. et seq.
Chirurg. Handbibl. von Cooper. Vol. VI. pag. 31.

remque habet ambitum, quam caput ejusdem ossis non elapsi. Saepe aspera gaudet superficie [15]; interdum eadem massa fibrosa, qua cavum novum, obtegitur [16]. Nonnunquam cartilagine ex parte duntaxat privatum invenitur [17]. Quandoque autem capite plane destitutum reperitur os elapsum [18] in quo casu collum rotundatum hujus vices suscipiens ad articulum spurium formandum juvat, quod etiam ibi accidit, ubi, capite integro, situs ossis luxati ejusmodi est, quo solummodo illius cervix cum altero osse congredi valeat [19]. Cavum, quod os deseruit, etiam valde mutatum invenitur. Jam *Fabricius* ab Aquapendente [20] in capite de luxatione brachii et femoris monuit: Sinum illum massa quadam repleri, quamvis obiter solummodo hancce massam qua carnem definiat. Eodem modo,

---

Neue Samml. der auserlesensten und neuesten Abhandl. für Wundärzte. 3. Stück. pag. 38.

Boyer, Abhandl. v. d. chirurg. Krankh. Vol. 4. pag. 38.

15) *Boyer*, L. c.

16) *Otto*, L. c. pag. 20.

17) Cooper, chirurg. Handbibl. Vol. 6. pag. 42.

18) *Salzmann*, disputationes chirurgicae. T. V. pag. 368.
Rust, Arthrocacologie. pag. 44.
Otto, L. c.

19) Cooper, chirurg. Handbibl. Vol. 1. pag. 42. et seq. Vir cel. mentionem hic facit de femore versus os pubis elapso, ubi collum, capitis supra os pubis eminentis, vices suscipiens, in hujus ramo horizontali cavum articulare sibi effinxerat, cujus margines cervicem ipsum utrinque arcte includebant.

20) *Fabricius* ab Aquapendente. L. c.

foveam veterem carne repleri, novumque cavum formari, *Ambrosius* Paraeus [21]) praedicit. Ex anatomica recentiorum auctorum perscrutatione autem elucet, foveam ab osse relictam formaque pristina destitutam non adeo profundam esse, marginibusque minus acutis limitari, ceteroquin eadem massa fibrosa, quam cavum recens effictum saepe investire supra monuimus, ex toto fere expleri [22]), ita ut cavum vix ossi, quod prius recipiebat, suscipiendo par sit.

Nonnulli etiam ossicula in hac massa animadverterunt [23]), immo, totam foveam ossea interdum substantia [24]) repleri, docuit anatomia. Nonnunquam membrana capsulari [25]) modo densiore, modo tenuiore intus laevi muniuntur articuli spurii; et quibus contigit, ut hujusmodi capsulas membranaceas recentes investigarent, hi etiam fluidum synoviae simillimum [26]) in iis accumulatum invenerunt. Interdum musculi caput ossis luxati obtegentes, idque arcte fossae novae apprimentes, capsulae

---

[21]) *Ambrosius* Paraeus. L. c.

[22]) Cooper, Vol. VI. pag. 31 et 42.

[23]) Cooper, Handbibl. Vol. VI. pag. 31.

[24]) Cooper, Handbibl. Vol. 1. pag. 38. 42 et seq., ubi de femore versus os pubis elapso sermo est.

[25]) *Cooper, Howship, Otto, Beclard.* L. c.

[26]) *Beclard.* L. c.
Hunter in Howship Beobachtungen über den gesunden und kranken Bau der Knochen. pag. 71. et seq.

vices suscipiunt, uti in casu a Cel. *Moreau* [27]) narrato res se habet.

Musculi, qui novum articulum ambiunt, pallidi ac macilenti reperiuntur, ita, ut totum membrum proximum ad minus volumen redactum appareat [28]).

Ex articulorum spuriorum descriptione anatomica patet, hos articulos valde discrepare a veris, inprimis quoad adminicula, quae in hisce motus adjuvant et accelerant in illis etiam difficiliores redditi eo, quod situs mutuus ossium articulum spurium constituentium plerúmque vetat, ne tam libere tamque expedite membra moveantur. Ab altera parte admiremur oportet nos vim medicatricem naturae, quippe cujus conamina novo articulo effingendo detrimenta homini illata compensandi haud sint negligenda. Nam ex sola pseudarthrosis contemplatione jam elucet, ex parte varios motus membro proprios fieri posse, siquidem conditiones primarias, quae ad hosce peragendos efflagitantur, natura suppeditavit. Sed experientia nos certiores adhuc reddit de eo, quod, ut ita dicam, a priori jam concludere nobis licet. Multa enim apud auctores extant exempla, quae, homines, in quibus defunctis articuli novi reperiebantur, ad

---

27) *Moreau* in Mémoires de l'academie de chirurgie. T. II. pag. 155. et seq.

28) *Hipp.* opera omnia. pag. 822. Foesii edit.
Boyer, chirurg. Krankheiten. Vol. 4. pag. 38. seq.
Cooper. Vol. 1. pag. 6.

mortem usque membris luxatis sat expedite uti potuisse testantur [29]), quamvis non semper haec ita contingant, tam ob situm articuli spurii membro proximo movendo parum aptum [30]), quam ob formationem articuli omnibus numeris nondum absolutam.

Jam vero superest, ut de modo ac ratione, qua articuli novi luxationibus praegressis sensim sensimque a natura formentur, breviter disseramus.

Ubi os vi quadam mechanice in id ipsum vel in aliam partem agente ligamentis articularibus integris vel disruptis excidit; partes molles, articulum ambientes, tenduntur, quassantur atque inflammatione corripiuntur; quare, ubi haec incidunt,

---

29) *Boyer*, L. c. pag. 38. et seq.
Langenbeck, neue Bibl. f. d. Chirurg. T. II. pag. 605 et 441.
Bertrandi, Lehre von den Knochenkrankheiten.
Ipse vidi hominem, qui femore sinistro ex coxarthrocace retrorsum luxato, quamvis claudicans, tamen absque fulcris ambulare potuit; alterum, qui lapsu in olecranon humero antrorsum luxato hoc membro omnes motus peragere potuit, qui opifici scrinario peragendi fuerunt. Naturam hic articula nova formasse, verisimillimum est. Sed quod rem modo dictam maxime illustrat, est articulus novus in homine in nosodochio caritatis phthisi emortuo repertus, qui tenera jam aetate, cum in terram decideret, claudicans factus est. Anatomia haecce docuit: Cavum sinistrum a femore relictum ex toto fere extinctum massa fibrosa repletum inveniebatur. Caput ossis femoris volumine redactum angulatum eademque massa obductum cavi rudimentum in superficie ossis ilei posteriore sibi effinxerat. A collo femoris ad hujus cavi massa fibrosa obducti marginem parum eminentem substantia ligamentosa tendebat. Homo ille femore licet brevius reddito absque fulcris et quidem sat expedite usque ad mortem uti potuit.

30) *Du Verney*, Traité des maladies des os. T. II. pag. 23[illegible]

membro proximo omnes motus praescinduntur. Si os luxatum mox reponitur, sublatis tensione, pressione ac inflammatione partium mollium (si qua jam exorta fuit), brevi tempore membrum diversimode rursus moveri potest.

Si vero os vel ob diagnosin luxationis dubiam in pristinum situm reduci neglectum fuit, vel ob inflammationem musculorum vehementiorem, vel denique ob majus musculorum robur nulla arte compescendum reponi haud potuit, inflammatione vel saltem irritatione sensim mitigata, musculi tensi et relaxati novis conditionibus paulatim adsuescunt, illi extenduntur, hi contrahuntur, ita, ut sensim sensimque motus membri proximi aliquomodo saltem redintegrentur. Nihilominus tamen, rebus quamvis faustissimis, nutritio, influxu nervorum ac vasorum impedito agendique vi musculorum diminuta, valde laedatur necesse est, quare musculi emacescunt totumque membrum volumine redigitur; quod praecipue conspicuum est, ubi tenera aetate haec accidunt. Jam *Hippocratem* non fugit, in hoc casu membrum luxatum minus perfecte evolvi, quam alterum membrum loco haud motum [31]).

Dum motus membri pedetentim redintegrantur, nova formatur fovea articularis, si caput ossis luxati ossi innititur, vel tenui duntaxat musculo-

---

[31]) *Hipp.* lib. de art. Sect. VI. pag. 819. Edit. Foesii.

rum stratu intermedio ab illo separatur [32]. Quodsi autem crassiori musculorum stratui caput ossis luxati innititur, nihil ejusmodi accidit, nec caput ipsum mutatur [33]. In casu priore compressione ac frictione sensim sensimque stratum musculorum resorbetur, dein illa periostei et ossis pars, cui caput ossis luxati apprimitur, antea emollita resorbendo consumitur, sicuti in aliis casibus, e. g. in ulceribus callosis id accidit, ubi compressione adhibita callositas saepe evanescit. Quod fundus cavi recentis interdum a parte articulo opposita prominet, etiam ossi luxato, musculorum vi parti ossis vicini emollitae admoto, tribuendum videtur. Caput ossis elapsi eandem patitur sortem. Resorptione non solum cartilago illum obducens, sed etiam par sosse asensim sensimque consumitur [34], ita ut minus rotundatum minusque laeve modo cartilagine ex parte adhuc munitum, modo plane ab illo nudatum appareat. Ubi ossis luxati cervicem capitis deficientis vices suscepisse vidimus, illud aut carie destructum [35] aut fractura a collo separatum et dein resorptum fuit [36]. Cum resorbendo pars ossis, in quam os luxatum agit, consumitur, pe-

---

[32]) Cooper, chirurg. Handbibl. Vol. I. pag. 6.

[33]) *Cooper*. Vol. I. pag. 6. et seq.

[34]) *Cooper*. Vol. I. pag. 6.

[35]) *Rust*, Arthrocacologie. pag. 44.
Otto, L. c. pag. 20.

[36]) *Salzmann*, disputationes chirurgicae. T. V. pag. 368.

periosteum confine insimul irritatur, et ita ad deponendam materiam osseam incitatur, quae valli adinstar ad novum cavum formandum circa caput ossis luxati accumulata auctore *Cooper* inter periosteum et os ipsum [37]), auctore *Howship* autem in interstitia periostei ipsius [38]) deponitur. Fovea nova ex parte igitur accumulationi substantiae osseae, ex parte hujus resorptioni originem debet.

Quod membranam capsularem attinet, quam sectiones anatomicae interdum ostenderunt, auctore Cel. *Cooper* e tela cellulosa densiore constipata est [39]). Ab osse luxato nimirum irritata tela cellulosa confinis leniter inflammatur, exsudat lympham coagulabilem, qua densior et ita quadantenus capsulae munere fungendo apta evadit.

Auctore Cel. *Howship* autem capsula, quae invenitur, semper est membrana capsularis vetus [40]), qua integra relicta solummodo articulus spurius effingi potest. Exsudat massa coagulabilis in interstitia capsulae membranaceae, terendo irritatae, qua major ejus crassities semper fere conspicua dependet. Haud infitiandum quidem est, membranam capsularem, qua muniti interdum inveniuntur articuli spurii, esse quandoque veterem integram

---

37) Cooper, Handbibl. Vol. I. pag. 6. seq.

38) *Howship.* L. c.

39) Cooper, Handbibl. Vol. I. pag. 6.

40) *Howship.* L. c.
Langenbeck, chirurg. Bibl. T. II. pag. 440. 605 et seq.

relictam membranam, quod in luxationibus imperfectis clare elucet; attamen non contendi potest, membranam capsularem luxatione haud laesam primariam esse conditionem ad articulum novum effingendum. Primum enim membrana capsularis, qua articuli spurii a fracturis non sanatis inducti gaudent, commonstrat, telam cellularem inflammatione ad capsulae analogon perduci posse. Dein in luxationibus ab arthrocace proficiscentibus membrana capsularis vetus semper corrupta invenitur[41]) et nihilominus in articulo novo membrana capsularis haud desideratur [42]). Si denique effatum illud Cel. *Howship* „articula nova solummodo ligamentis capsularibus integris relictis efformari posse" ad effingendum cavum novum restringere volumus, complura exempla, quibus novae foveae membrana capsulari haud munitae erant, hancce sententiam refutant [43]).

Dum ratione supra exposita novam natura articulationem sibi explicat, cavum, quod os relinquit, valde mutatur: ejus margines resorbentur, substantia ossea in medio sinu accumulata ejus fundus magis eminet, simulque leni inflammatione massa fibrosa exsudat, qua totum fundum explet

---

[41]) *Rust.* L. c.
Guiseppe Flagani, Collezione d'osservazioni e riflessioni Chirurgia. Tomo I. pag. 52.

[42]) *Rust.* L. c.
Otto. L. c.

[43]) Richter, chirurg. Bibl. Vol. VII. 4. Stück. pag. 746. s

supra vidimus. Quae quidem cavi veteris mutationes iis simillimae sunt, quae, dentibus elapsis, alveolis accidere solent.

Omnia hucusque de pseudarthrosi a luxatione in genere prolata, praecipue ad pseudarthrosin a femore et brachio luxato proficiscentem sunt referenda, quippe quae hisce membris loco motis saepius, quam aliis accidere soleat. Causae hujus phaenomeni haec sunt: In articulis modo dictis ossium mutua adaptatio ejusmodi est, quae facillime depravationem permittat. Luxatio apparatu ligamentoso plerumque simplici, quo hi articuli muniuntur, adhuc juvatur; (quod inprimis de humero valet) et cum natura, ubi motus liberiores necessarii fuerunt, hosce articulos constitueret, eo facilius dislocatio fieri potuit. Ex hac igitur ad luxationes proclivitate majore horum membrorum jam elucet, articulos spurios hic saepius effingi. Sed accedit adhuc quod his membris luxatis adaptatio ossium mutua et actio musculorum multiplex ejusmodi sunt, quae ad effingendum articulum novum aptissima videantur. Quare omnes auctores, qui de pseudarthrosi agunt, articulorum spuriorum, qui luxationes femoris et brachii sequuntur, solummodo mentionem faciunt.

VITA

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADJECTA.

Ego, Carolus Mauritius Geisler, die XXIV. Maji A. MDCCCV. Freistadii, Silesiae inferioris oppido, a patre Henrico Geisler, Conrectoris munere ibi fungente, et a matre, e gente Becheriana, eheu! praematura morte mihi erepta, natus sum. Literarum primordiis a patre optimo imbutus sum. In iis literis, quae ad studia academica viam nobis muniunt, ab eodem et a Cel. Knispel, rectore apud Freistadienses, cujus gratam memoriam nunquam ex animo dimittam, eruditus sum.

Anno MDCCCXXII. Berolinum me contuli, ut numero alumnorum Instituti regii med.-chirurg. Frider. Guilelmiani adscriberer. Hic per quatuor annos hisce summorum virorum interfui lectionibus.

De Mathesi, logice, hodegetice et psychologia Cel. Wolff disserentem audivi. De Botanice, historia naturali et de pharmacologia lectionibus Illustr. Linki interfui. Osteologiam, splanchnologiam, syndesmologiam, artem formulas medicas concinnandi et anthropologiam forensem Illustr. Knape mihi tradidit. Eodem cum Illustr. Rudolphi in arte cadavera rite dissecandi praeceptor

gavisus sum. Cel. LICHTENSTEIN lectionibus de Zoologia interfui. Anatomiam universam corporis humani sani, Entozoologiam, anatomiam comparatam et organorum sensuum nec non physiologiam et encyclopaediam medicam Illustr. RUDOLPHI mihi tradidit. De physiologia etiam Cel. ECK et Illustr. HORKEL disserentes audivi. Pathologiam generalem, semioticen et therapiam tam generalem quam specialem Cel. FR. HUFELAND mihi tradidit. Lectionibus Illustr. W. HUFELAND de semiotice et de morbis infantum interfui. De Pathologia speciali et de morbis mentis Illustr. HORN disserentem audivi. In medicina forensi et in arte formulas medicas concinnandi Cel. CASPER praeceptore gavisus sum. Artem fascias rite imponendi, chirurgiam generalem et artem obstetriciam tam theoreticam quam practicam Cel. KLUGE mihi tradidit, cujus lectionibus de ossibus fractis et luxatis etiam interfui. De ophthalmiatrice Cel. JÜNGKEN, de akiurgia Cel. KLUGE, Illustr. RUST et GRAEFE disserentes audivi. Chirurgiam specialem et doctrinam de morbis venereis Illustr. RUST mihi exposuit. Clinicis exercitationibus tam medicis quam chirurgicis Illustr. vir. W. HUFELAND, NEUMANN, RUST et GRAEFE interfui.

Studiorum cursu peracto, in nosodochio caritatis berolinensi per annum munere medico-chirurgi inferioris functus sum.

Jam vero tentamine et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine berolinensi rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione conscripta et defensa, summi in medicina et chirurgia honores rite mihi concedantur.

Quo facto ad medici turmalis munera suscipienda Longosalissam me conferre jussus sum.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Arteria hepatica ad bilem secernendam sanguinem praebet.

II.

Arteriae ad sanguinem movendum nil juvant.

III.

In amputatione penis ligatura cultro praeferenda est.

IV.

Calomel est antiphlogisticum.

V.

In respiratione caloris fons positus.

VI.

Febris puerperalis antiphlogisticis curanda est.

VII.

Synchondrotomia est operatio plane rejicienda.

VIII.

Arteriotomia nunquam indicata.